Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26042
Copyright: Admont, Benediktinerstift

fac me audire uocem tuam. Ac si dicat xpc
ecclesie perfectorum. Que per religionis instituta habi
tas in diuersis ecclesiis in quibus proferris germina uir
tutum et flores florum. fac me i. perfectis audire uocem tuam.
i. peticionem. que digna sit ut ego eam audiam.
quia amici tui angeli auscultant ut eam ad me im
plendam proferant. Similitudo est. Mos est ut amici spo
si auscultant quid sponsa petat. ut eius petiti
onem a sponso optineant. Sic quidem: Domine fac uo
cem suam audire. que non terrena sed eterna a deo postu
lat. Porro tota ecclesie predicatio ideo est ut
fiat inter bonos et malos separatio. ut boni
fruantur quiete quam amant. et mali aut ad eos con
uertantur. aut ab eis discernantur. Unde sequitur. Fu
ge dilecte mi. i. tu fili a paleis et subtrahe me ini
micis sicut ille qui fugit et abscondit se ab eis. et as
similare capree discernendo bonos a malis. sicut ca
prea discernit bonas herbas a noxiis. et assimila
re hinulo deserens incestos. et requiescens in ca
stis sicut hinulus estum declinans in umbra requi
escit. Tu dico qui es hinulus ceruorum. in humana car
ne de patriarchis assumpta. esto super montes
aromatum. i. super mentes fidelium. qui propter uirtu
tum sublimitatem dicuntur montes. et aromatum.
propter fragrantiam uirtutum. Uel esto super montes aro
matum uidelicet super choros angelorum associans ei
multitudinem hominum. Uniuersitas regni celestis
est hic uisu conprehensa. Per dilectum quippe xpc. Per fugam tran
situs de mundo aduentus. Per capream ecclesia. Per hynnu
lum ceruorum populus sanctorum. Per montes aromatum or
dines angelorum intelliguntur. quo omnes in nuptiis ag
ni congregabuntur. quando ecclesia a malis separabitur. et in
celesti ierusalem gloria et honore coronata. in solio
regni pro emula sua scilicet angelica natura dampna
ta regina locabitur. et sponso suo uerbo dei in car
ne sui unito. in gloria quoque copulabitur.

Finiunt Cantica Canticorum.

Incipit tractatus. De aduentu